

50 Quinimò secundum eandem Patrem Velazquez (a), non solum in iis, quas retulimus scientiis, & disciplinis, instructus esse debet, verum si sonum literalem Salomonis attendamus, Divinatrici quoque incumbere, & in expediendis negotiis veluti præsagam mentem habere. Sic enim in Proverbiis (b) habet: *Divinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os ejus.*

51 Quod valde juvat Ciceronis (c) locus, licet à prædicto Auctore non relatus, ubi inquit: *Olim Reges præstantissimi, auguriis, & prædictionibus claruerunt: & se suosque liberos, iis disciplinis erudiri curaverunt. Quid Asiæ Rex Priamus, nonnè & Helenum, & Cassandram filiam divinantes habebat? Quid Polybum Corinthium, nonnè Homerus, & alii multa, & filio ad Trojam proficiscenti, mortem prædixisse commemorat? Ut enim sapere, sic divinare Regale ducebant, ut testis est nostra civitas, in qua & Reges Augures, & postea privati, eodem Sacerdotio præditi, Rempublicam Religionum auctoritate rexerunt.*

52 Et adeo observant Reges Persarum, & alii Orientales, & alii Astronomiæ & Judiciarum studium, diceretur Magia imperare, ut Plinius (d), & Philo (e), literis tradiderunt. Et ipse quoque Salomon Astrologiæ valde peritus fuit, ut Pineda (f) multis edisserit.

53 Absit tamen, ut Christianis Principibus divinatrice artes, quæ ad Magiam, aut Astrologiam Judicariam pertinent, vel inter prohibitas ab Imperatore Constantio (g) recensentur, modo aliquo suademus, nihil enim est, quod Deum magis offendant, qui sibi soli futurorum cognitionem servare voluit, ut apud D. Lucam (h) docuit, & in Saulis punitione (i) propter consultam Phithonisam, & per Necromantiam evocatum Samuelis spiritum indicavit; rectè enim Dionysius Cato (k) quamvis Gentilis, admonuit,

*Quid Deus intendat, noli perquirere sorte,
Quid statuatur de te, sine te deliberat ipse.*

54 Et ille Proverbiorum locus, ut ipse Pat. Velazquez (l), post Salazarium, & alios animadvertit, varias habet expositiones, inter quas illæ verissimæ & aptissimæ sunt, quod nullo modo ad artem divinatricem respiciat, sed Deum veluti certa & infalibilia reddere solere iudicia, quæ justè Reges justè & consultè pronuntiant, Salomon doceat; vel ea prudentia ac consilio eos præcellere debere, ut quidquid de ipsorum labiis procedat, in publicis negotiis expediendis, veluti ex præsaga mente proficisci videantur. Quo sensu Rex Athalaricus apud Casiodorum (m) de avo suo Theodorico dixisse comperitur: *Judiciis suis etiam futura prædicebat.*

55 Hoc enim esse proprium scientiæ & prudentiæ, ex præteritis futura prædicere, ipse Salomon dixit, sic in libro Sapientiæ (n) scribens, *Si multitudinem sapientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat.* Et Nos suprâ (o) de Prudentiæ effectibus agentes, cum Marco Prætorio, & aliis tetigimus.

56 Et de gravi errore ac peccato Regum, qui aliter sentiens, Magos & Ariolos consulunt, aliqua nuper Noster Saavedra (p) notavit, & ante eum plura Justus Lipsius (q), & And. Canonherius (r), Camerarius (s), & Joannes Filesacus (s), qui inter alia illud Taciti (t) adducit: *Quæ fato manent, quamvis significata non mutantur.* Et Aurelii Victoris: *Arduum fatalia divertere, eoque futuri notionem superfluum.* Quibus consonans Quintus Curtius (x) *Eludant licet (inquit) quibus fortè & temerè humana negotia volvi, agique persuasum est, è quidem æterna Constitutione crediderim, nexuque causarum latentium; & multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.* Et Apulejus (y): *Nec consilio prudentis, vel remedio sagacis, divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti, vel reformari potest.*

EM-

(a) Idem Velazq. ubi sup. annot. 9. pag. 354.

(b) Proverb. 16. 10.

(c) Cic. de divin. lib. 1.

(d) Plin. lib. 3. cap. 1.

(e) Philo lib. de specul. legib.

(f) Pined. sup. pag. 129.

(g) Constant. Imp. in l. nemo 5. C. de malef. & Mathem.

(h) D. Luc. in Act. Apost. cap. 1. vers. 7.

(i) 1. Reg. 28.

(k) Cato in dist. lib. 2.

(l) Velazq. sup. Salaz. in Proverb. 1. tom. col. 1339.

(m) Casiod. lib. 8. epist. 13.

(n) Salom. Sap. 8. 8.

(o) Sup. Emb. 7. & 13.

(p) Saaved. Empr. 4. pag. 31.

(q) Lips. in mon. Polit. lib. 1. cap. 5. quæst. ult. pag. 175.

(r) Caonher. in Apbor. Polit. ex pag. 479.

(s) Camer. 1. tom. pag. 266.

(t) Filesac. 2. select. trad. 1. cap. 9. pag. 53.

(u) Tacit. 17. Annal.

(x) Curt. lib. 5.


(y) Apul. 9. Miles.

ELOQUENTIA PRINCIPES ORNAT.



[*Truncum conspiciens Atlantis forte nepotem
Hermam, quo & vultu terra Pelasga colit.
Quæ tibi cum magnibus virgam, pedibusque cothurnos
Alitibus, dixi, sustulit ira Deum?
Ille mihi, dum lingua manet, quid cetera curem,
Præcunctis unum Regibus Eloquium.*

COMMENTARIUS.

1  IS artibus, & disciplinis, quibus ornari Principes diximus, nunc Eloquentiæ curam, & studium adjungimus, quæ copiosè loquens sapientia à quibusdam definiti, appellari solet. Ab aliis, virtus, qua voluntas mentem, & linguam regit, ut vera, recta Deo grata, & hominibus salutaria perspicue, & ornate dicat.

2 Unde eandem Euripides *Reginam* vocavit, & Ennius, *Flexaminam*; & Cicero (a), postquam pluribus de ejusdem laudibus, & utilitatibus egit, constanter statuit, Perfecti Oratoris moderatione, & sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed & privatorum plurimorum, & universæ Reipublicæ salutem maximè contineri, nihilque præstabilius esse, quàm posse dicendo, tenere hominum cætos, mentes allicere, voluntates impellere quò vellis; unde autem velis, deducere.

3 Et Hesiodus tanti eam fecit, ut præceteris disciplinis exquiri debere, his carminibus, è Græco ita Latine redditis, doceat

Quid disciplinis dignum ut est in ceteris

Sudamus, atque singulas inquirimus?

Ac non magis saudelan, quæ Mortalibus

Regina sola est, examissim exquiritur.

Datoque pretio discitur, quo, quæ velit

Ea quisque persuadere possit, & assequi.

4 Et sanè justissimè cum eodem Cicerone (b) testante, nemo sit qui nesciat, initio genus humanum in montibus, ac sylvis dissipatum, prudentium consiliis compulsus, & disertorum oratione delinitum, se oppidis, mœnibusque sepsisse. Quod Veteres, vulgatis illis Amphionis, Or-

(a) Cicer. in lib. de orat. quem retulit Car. lib. 6. epist. 5.

(b) Cicer. 3. lib. de orat.

Orphei, & aliorum fabulis, qui sui cantus, & liræ modulamine animalia, aves, pisces, arborea, quin & petras ad se atrahebant, & inferos carceres reserabant, denotare voluerunt, ut signanter Horatius (e), & post eum omnes Mytologici tradunt, quos latè noster Bobadilla (d) congressit, & ultra eos Petrus Costalius (e), Orphei Chelym pro eloquentia apertè desumens, dum in suo Pegmate dixit:

*En ut Treicius numeris, & carmine Vates
Permovet aurata barbara saxa cheli;
Utque arbusta tenet cantu, platanosque sequentes,
Et ciet insolitis pervia monstra sonis:
Circa homines tantum retinet faciundia nomen,
In sua ut invitos vota dissertus agat.
Cendit hic hominum cætus, menia primus
Artifici posuit non violata manu.*

5 Sed ut hanc vim sive virtutem eloquentiæ omnibus quidem hominibus utilem, Regibus tamen, ceterisque Magistratibus, qui Rempublicam gerunt, cum primis necessariam significarent, variis quidem Hieroglyphicis ad hoc usi comperiuntur, quæ apud Pierium Valerianum (f), & Nicolaum Causinum (g) videri poterunt, & novum quoddam, iudicio meo satis prolixum, prolixius cominiscitur & explicat Camerarius (h).

6 In illud tamen frequentius itum fuit, ut Ogmium illum Herculem figurarent, quem etiam Gallicum appellarunt, necnon & Tyinthium, quod in Tyinthia urbe, Argis vicina, nutritus. Cultu illum consueto effigentes, seniori schemate, hilari tamen vultu, consertos hominum cætus auribus victos trahentem, tenuissimis quibusdam catenulis auro electroque per quam affabrè factis, quas, linguæ extimæ insertas, moderabatur, & auditores nullo modo resitantes, dulci verborum illicio, in quamcumque vellet partem facilè deducentem. Ulro festinantes omnes, & laxatis funiculis etiam antevertere studentes, perinde quasi graviter laturi, si dulcibus illis vinculis solverentur.

7 Quam figuram latè proponit, & exponit, atque ad rem de qua agimus accommodatissime applicat Lucianus (i), & Budæus (k), ex eaque Erasmus (l) in Adagium transiisse ait: *Ab aure revinctos ducit*, proverbiali specie, in invicta eloquentiæ hominem, qui quod velit linguæ lenocinio auditores rapere, & traducere possit. Idem quoque ipsum doctè Natalis Comes (m), & Camerarius (n) animadvertunt; sed nemo præstantius, quam præstans noster Emblematorum Antesignanus Altiatus (o), hinc Emblema desumens ad probandum, eloquentiam fortitudine præstantiorem esse, ut & alibi dixit Ovidius (p):

*Quidque faciundia posset,
Tunc patuit; fortisque viri tulit arma dissertus.*
Et rem totam his elegantissimis carminibus explicans:
*Arcum leva tenet, rigidam fert dextera clavam
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hac igitur facies? Non convenit illud
Quod vetus, & senio tempora cana gerit.
Quidquod lingua illi levibus trajecta catenis
Queis fissa facileis illicit arte viros?
An ne quod Alciden lingua, non robore Galli
Præstantem populis jura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamvis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.*

8 Hactenus Alciatus, cujus planè immemor fuisse videtur Achilles Bochius (q), dum post tantum virum, eandem picturam inter sua symbola ponit, & pluribus carminibus illustrare conatur. Quam, si fas esset cum Alciato contendere, non ineptè Nos etiam quondam sic Otiantes, aperire conati sumus

*Comprimunt auratis Tyinthibus esse catenis
Gentes, vocali, quas trahit ille, iugo.*

Ami-

(e) Horat. in arte.

(d) Higin. Palef. Nat. Comes, & alii apud Bobad. in Polit. lib. 1. cap. 1. num. 3. & Ego in 2. tom. lib. 1. cap. 23. ex num. 5.

(e) Costal. in Pegmat. pag. 315.

(f) Pier. lib. 16. 20. & 26.

(g) Causin. de eloq. sacra, & in Polyst. sym. lib. 2. cap. 2.

(h) 7.

(b) Camerar. subcis. tom. 3. cap. 23. pag. 227.

(i) Lucian. in Hercule Gallico, & in Jove Tragædo.

(k) Budæus ad Pand. in l. 1. de serv. corrup.

(l) Erasem. in Adag. pag. 234.

(m) Nat. Com. in Mythol. lib. 5. cap. 5. pag. 441.

(n) Camer. 1. subcis. cap. 63. pag. 228.

(o) Alciat. Emb. 180.

(p) Ovid. met. 13.

(q) Boch. Symb. 43. pag. 92.

*Armisonos superat bombos faciundia, dulci
Eloquio Princeps Regna superba domat:
Vincitur sed enim populus pretiosius ore,
Vincitur etsi aliis fortius ille manu.*

9 Nunc verò, ut alia, non minus aptiori, non ita vulgari, eandem eloquentiæ vim denotemus, hanc, quam in præfixo Emblemate vides, ex Mercurii Icone desumptam excogitavimus, cui etiam veteres, ut Natalis Comes (r) scribit, eandem catenam Herculis triboerunt, quemque Hermam etiam logium, id est, dissertum, ut Synesius (s), Giraldus (t), & alii, (a) inquit, appellitarunt, eloquentiæque Patrem, seu Præsidentem esse dixerunt, ut & Horatius (x), dum canit:

Mercuri faciunde Nepos Atlantis, &c.

Et truncum manibus, ac pedibus in triviis, compitiis, & gymnasiis solo ore aperto, exponere solebant, ut significarent, Principes viros, eloquentia præstantes, nullo manuum, aut pedum officio indigere, sed lingua tantum, & in eis illud Euripidis certissimum reddi:

Cuncta sermo conficit, quæcumque ferrum efficere possit hostium.

10 Qua de causa, & Cyllenii nomen accepit, si Eustathio (y), Festo (z), Brodæo (a), & aliis (b) fidem habemus, quod Græcè virum mancum, & pedibus truncum significat, quasi his non egeret, qui eloquentiæ Deus erat, & ipsa sola omnia præstare posset, in quibus conficiendis solent alii totis membris, atque artibus desudare. Testante quippè etiam Michaelè Verino (c):

*Nil tam difficile est, quod non persuadeat, & non
Efficiat docti lingua disserta viri:
Ancipiti eloquium longè penetrantius ense,
Hoc rabiem motam sedat, & arma movet.*

11 Qua etiam ratione, secundam Pierium (d) Valerianum, Janum, similiter ac Harmam, figurare solebant, quod sola sua prudentia omnia, quæ vellet, consequi poterat.

Et in eisdem eloquentiæ significationem idem Mercurius *Deorum caduceator* dictus fuit, quasi dissidiis componendis nemo aptior, quam qui ei præset, inveniretur. Ipsaque virga, qua in his legationibus utebatur, CADUCEUM vocata, à *cadendo* nimirum, quod eloquentia contentiones, & bella cadere faciat, ut post alios Calepinus (e) observat. Cui & angues implicati, ut nihil esse, quod non eloquentiæ cum prudentia junctæ, subiciatur, significarent, ut Boccacius (f) animadvertit, & post Plinium (g) D. Isidorus (h), sic inquit: *Mercurius virgam tenet, qua serpentes dividit, id est venena. Nam bellantes, & dissidentes interpretum oratione sedantur.*

Quibus addo Phornutum (i), qui signanter hinc factum fuisse dicit, ut linguæ, victimarum loco, ejusdem Mercurii honori olim consecrarentur. Et Atheniensium consuetudinem, qui, Agellio (k) referente, Oratores *Demagogos* vocabant, quasi populi ductores, qui eloquentia sua illius motus sedarent, & quod vellent impellerent, ut de Publico Valerio Menenio, Agrippa, & pluribus aliis Valerius Maximus (l) narrat. Et graviter Virgilius (m), in gravi, & eloquenti Sene, sua oratione, & auctoritate seditionem populi comprimente, his verbis exposuit:

*Ac veluti in magno populo cum sæpè coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque fasces & saxa volant, furor arma ministrat
Tum pietate gravem ac meritis, si fortè virum quem
Conspexere, silent, arreclisq; auribus adstant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet, &c.*

T

Quod

(r) Nat. Com. in Mythol. lib. 5. cap. 5. pag. 441.

(s) Synes. in Dione.

(t) Gyrard. Syntag. 9. in princip. Phornut. in lib. de nat. Deor.

(a) Natal. in Mythol. pag.

(b) Horat. lib. 1. carm. Oda 13.

(c) Eustat. ad Homer.

(d) Festus verb. Cyllenius.

(e) Brodæ. Epig. 1.

(f) Ferdin. Perez de Guzm. ad Joann. Menam, copla.

(g) Verin. in carm. de eloquent.

(d) Pier. lib. 32.

(e) Calep. verb. Caduceum.

(f) Boccac. de Diis Gent. lib. 12. cap. 26.

(g) Plin. lib. 29. cap. 3.

(h) Isid. lib. 8. etym. cap. 11.

(i) Phornut. de natur. Deorum.

(k) Agel. lib. 33. cap. 13.

(l) Valer. Maxim. lib. 8. cap. 9. Beyerl. in lit. M. pag. 166.

(m) Virgil. Æneid. 7.

12 Quod etiam Xenophon (n), & Volaterranus (o) in Hietone memorant contigisse, qui licet ex Duce, Sicilia Tyrannus factus fuisset, orta tamen domi seditione, inermis in forum prodiit, blandaque oratione populum in officio continuit.

13 Verè enim ut auro sapientia nihil est pretiosius: fulgore eloquentia cum sapientia conjuncta, nihil admirabilius, qua sola Pyrrhus (p), qui multos annos de Imperio cum Romanis certavit, dicere solitus erat, Cyneam legatum suum, qui erat eloquentissimus, plures sibi urbes eloquentia, & consilio comparasse, quam ipse suis armis domuisset. Et Polianus (q) de Philippo Macedonum Rege similiter narrat, non minores res oratione, quam praelio confecisse; & quod magis sibi placebat, si quam verbis adeptus esset victoriam, quam si quos armis in potestatem redeget. Horum enim partem sibi milites vindicare dicebat, illam verò ad suam unius gloriam pertinere.

14 Quò & spectans Salomon (r) dixit: Civitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiducia ejus. Et Marcus Tullius (s): Eloquentia multas urbes sunt constituta, & plurima bella restincta.

15 Et cum Sapientes Athenienses post longam disceptationem nihil inter homines difficilius esse definiisse legamus (t), quam eorumdem hominum dissentientes animos conciliare, aliosque ad sui votum allicere; idque, ut vidimus, sola eloquentia, & dicendi (quam appellant) arte, præstetur, planum planè redditur, hanc, nullis magis, quam Regibus, ac Magistratibus convenire, qui subditorum suorum non minus animis, quam corporibus imperitandis, & in vota ac desideria sua justè flecendis, præcipua cura, atque studio incumbere debent. Ut enim hominis decus, omnium confessione, est ingenium: sic ingenii ipsius lumen est eloquentia.

16 Qua quidem quantum plures Reges profecerint, & quanta, qualiaque profecerint, pluribus Cicero (u), & alii passim Scriptores (x) ostendunt. Ego paucis contentus eundem Ciceronem iterum advoco, qui in libro quarto de finibus, eloquentiam, maximum esse Principum ornamentum statuit, & Aristotelem, qui cum Alexandro Magno in sua Rethorica loquens, ipsum seriò monet; valde indignam rem esse, si Princeps splendidis vestibus se ornet præ aliis hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria est hominum, quam ulla vestis. Et Alexander ipse, cum Philippo patre apud Dionem (y) Prusæum loquens, hoc verè esse Regium agnoscens, sic dixit: Rhetorica quidem opus est Regi: nam tu frequenter scribere cogis, & contradicere Demostheni Rhetori valde vehementi, & impostori, atque aliis quoque, qui Athenis Remp. administrant.

17 Quem præiisse videtur Hesiodus (z), dum in Theogonia de Caliope, quæ eloquentia, & Rhetoricæ, ac vocis suavitate præesse credebatur, scribit, eam Regum Comitem esse, sic inquiens:

Que Reges etiam comitatur ritè verendos;
Maximi honorarint gnate que cumque Tonantis,
Regibus exaltis, & amico lumine natum,
Spectarint.

18 Homerus (a) quoque Phœnicem introducit, se veluti gloriantem, quod in præceptorem seu pædagogum Achillis electus fuisset, eumque non minori cura eloquentia, & bonis artibus, quam militaribus rebus imbuerit,

Comes, atque Magister
Suum datus, ut præcepta tibi rerumque bonarum
Verborumque darem, rebusque ut fortis agendis
Esses, & verbis posses Orator haberi.

19 Et rursus apud Causinum (b), suis temporibus jam inter Reges satis eloquentia studium in concionibus invaluisse demonstrat, dum Heroes illos antiquos ob linguæ facultatem multis laudibus effert, elegantiam Agamemnonis, artificiosam Menelai in suis discursibus breviter, mellifluam Nostris suavitatem, Ulyssis copiam, & ingeniosam Paridis faciundiam extollens.

20 Quod etiam in præcis illis Romanorum Imperatoribus æquè curæ, ac laudi fuisse Tacitus (c) memorat, dum in Nerone, puero adhuc, populum succensuisse scribit, quòd præscrip-

(n) Xenoph. in Hier.
(o) Volaterr. lib. 16.
(p) Plut. in Pyrr.
(q) Polian. lib. 4.
(r) Proverb. 21. 22.
(s) Tull. lib. 1. Rhet.
(t) Joseph. de Rusticit in Pref. ad vitam Papin.
(u) Cicero. lib. 1. de orat.

(x) Causin. de eloquent. lib. 1. cap. 5. Petil. lib. 9. cap. 53. Midend. in quart. Polit. verb. Rethorica. Beyerlin. ubi sup. Camer. 3. tom. cap. 63.
(y) Dion. Prus. orat. 2. de Regno.
(z) Hesiod. in Theog.
(a) Homer. Iliad. 1.
(b) Causin. d. lib. 1. de eloq. cap. 5.
(c) Tacit. Annal. 12.

tam à Seneca orationem primo suo in Senatum ingressu, verbotenus recitasset. Nam Dicitator (inquit) Cæsar summis oratoribus æmulus, Augusto prompta ac profluens, quæ diceret Principem eloquentia fuit. Tiberius artem quoque colebat, quæ verba expenderet: nec in Claudio quoties meditata diceret, elegantiam requireres. Etiam Cæsi Cæsaris turbata mens, vim dicendi non corruptit, &c.

21 Dion (d) etiam Cassius Hadrianum in utramque linguam impensè eruditum ostendit, Vopiscus (e), erectam Numeriano inter Oratores statuam, testatur; & Pomponius Lætus (f) Constantinum non fuisse eloquentia expertem memorat, quamvis fuerit armorum studiosissimus. Aliisque omissis, Ausonius (g) Gallus suum Gratianum ab eadem eloquentia commendans, sic habet: Et aliqua de Oratoris virtutibus tuis dicerem, nisi vererem mihi gratificari. Non enim Sulpitius acrior in concionibus, nec majoris Græci commendabilior modestia fuit, nec Patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis cum incitata pronuncias; quæ inflexio cum remissa; quæ temperatio cum utraque dispensas. Quis oratorum læta faciundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut quod est liberum, cogitavit? &c.

22 Quas suorum Principum orationes, ubi pari rerum pondere, ac verborum fulgore, in Senatu recitabantur, tanti facere solebant Romani, ut non contenti eas auribus præcepisse, laminis æreis atque argenteis inciderent, & singulis annis publicè in Senatu legi, repetique juberent, ut ex Dione Xiphilino, Tactico, Plinio Juniore in Panegyrico ad Trajanum, & aliis, doctè animadversum reliquit Justus Lipsius (h). Cui addo, nostros quoque Jurisconsultos, statim in eadem peculiare commentationes, sive glossata elaborare solitos fuisse, ut passim in Digestorum libris habetur, & peculiariter Brissonius, Kalinus (i), & alii prosequuntur, qui de verbis juris scripserunt, & Joan. Bosinus (k), dum de Romanorum antiquitatibus agit, & Antonius Concius (l), quamdam sui Regis Henrici similem orationem commendans, atque commentans.

23 Cassiodorus (m) quoque, quanta fuerit sub Regibus Gotthis harum elegantium orationum æstimatio, quamvis jam tunc non per ora Principum, sed Quæstorum suorum voce pronunciantur. His verbis ostendit: Nam si Oratoris est proprium, graviter, & ornatè dicere, ut possit animos judicum commovere; quanto faciundior debet esse, qui ore Principis populos noscitur admonere, ut recta diligant, perversa contemnant, bonos sine fine laudent, pessimos vehementer accusent. Ut penè feriata sit distractio, ubi prævalet eloquentia fortitudo. Et alibi (n): Habes magna quæ dicas, si & tu simili oratione resplendeas. Fama temporum de legitima, atque eloquenti jussione generatur. Omnia siquidem bona cumulat lingua disserta, & quod à nobis præcipitur, gratia dicentis ornat.

24 Hujusque virtutis vis tanta fuit in Pericle, secundum Valerium Maximum (o), & alios (p), liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis eloquentia sua imposuerit. Ex quo Achilles Bochius (q) occasionem sumpsit fermandi symbolum, ad ostendendum, Eloquentia vim posse unam omnia, quod his ornavit carminibus:

Fulgurat ecce, tonatque, & miscet cuncta Pericles
Ut rutilans perterritus, & penetrabile fulmen:
Ut que imitata ipsum fulmen bombarda trisulcum
Munitas, arces immensa repagula, turres,
Oppida, & horribili evertit concussa fragore
Mænia lata solo. Non illi cominus audent
Sistere se fortes turme, ingentesve manipuli.
Non clypei, non ulla queunt obsistere tela;
Denique cuncta ruit peditumque equitumque per auras
Horrendum dictu glomeratos disjicit artus:
Absterretque adeo aerias displosa volucres
Quum boat, & penitus conceptos evomit ignes;
Sic oratoris summi admiranda facultas,
Cum se se ipse refert totum à celestibus illis
Rebus ad humanas, excelsius omnia certè, &c.

T 2

Mag-

(d) Dion. in Had.
(e) Vopisc. in Num.
(f) Pompon. Læt. in Constantino.
(g) Auson. in Paneg. ad Gratian.
(h) Lips. ad Tacit. lib. 13. Annal. nota 11. pag. mibi 213. & seqq.
(i) Briss. & Kalin. verb. Orationes.
(k) Bosin. lib. 1. cap. 16.

(l) Concius ad edit. Henr. de Claud. Matrim. pag. mibi 567. & seqq. Ego in Epist. Dedic. hujus libri, de graviss. Regis nostri oratione sermonem faciens.
(m) Casiod. lib. 6. epist. 5.
(n) Idem lib. 8. epist. 13.
(o) Valer. Max. lib. 8. cap. 9.
(p) Petrar. rer. mem. lib. 2. pag. 415.
(q) Boch. Symb. 94. pag. 200.

Magnificentius loquitur, sentitque movetque
Fortius, ut valeat prorsum nil sistere contra,
Ignivomo fatuos propulsans ore sophistas.

25 Et Pisistratus dicendo tantum valuit, ut ei iidem Athenienses Regium Imperium oratione capi permitterent, cum tamen ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius (ut Valerius (r) inquit) salubriores erant conciones, alterius dissertiores, quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas, libertati servitutem præferret.

26 Marcus etiam Tullius, & ex eo Petrarcha (s) (quod magis mireris) enarrant: Hegesiam quemdam Cyrenaicum fuisse tam penetrabilis, ac præpotentis eloquii, ut illo, vitæ hujus exponente, simul & deplorante, miserias, plurimi audientium vitam spontè relinquerent. Mirum prorsus, & inauditum, & natura ipsa valentius orationis genus, quod & vitæ odium, & desiderium mortis ingereret.

27 Sed & ipse Marcus Tullius aded in hac dicendi facultate ceteros superabit, ut Princeps, Paterque Romanæ eloquentiæ dici meretur, eique viventi Julius Cæsar (ut Camerarius (t) refert) hoc diploma securitatis simul, & honoris ergo concesserit: *Marcum Tullium Ciceronem ob ejus eximiam virtutem, & egregias animi dotes, per universum orbem terrarum saluum esse jubeo.* Et crudeliter ab Antonio necato, eximius Poëta Cornelius Severius his elegantissimis, & relatu dignis carminibus parentaverint, quæ meritò à Petro Crinito (u), post Annæum Senecam commendantur.

Oraque magnanimum spirantia penè virorum
In rostris jacere suis. Sed enim abstulit omnes
Tanquam sola foret rapti Ciceronis imago:
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Juratæque manus, deprensæque fœdera noxæ,
Patriciumque nefas: est nunc & pœna Cethegi,
Disiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor aut cæcus, pleni quid honoribus armis
Profuerint? Sacris exactis quid artibus etas?
Abstulit una dies ævi decus, istaque luctu
Conticuit Latæ tristis facundia linguae:
Unica sollicitis quondam tutela, salusque.
Egregium semper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togæque
Publica vox sævis æternum obmutuit armis:
Informes cultus, sparsæque cruore nefando
Canicem, sacræque manus, operumque ministras
Tantum, pedibus cujus projecta superbis
Proculcarit ovals: nec lubrica fata Deosque
Respexit: nullo luet hæc Antonius ævo:
Hoc neque in Æmatio mitis victoria Perse,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoste Philippo:
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurtha
Afferat; nostræ cadens ferus Annibal iræ
Membra tamen Stygias tulit involata sub umbras.

28 Sed ut ad Reges redeamus, & eloquentiæ in ejus utilitatem, & necessitatem firmioribus adhuc sacræ Scripturæ tibicinibus roboremus, Moysen respice (x) qui cum à Deo legationis ad Pharaonem munere, & Hebraici populi regimine donaretur, hanc excusationem opposuit: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius; & ex quo loquutus es ad servum tuum, impeditioris & ruidioris linguae sum.* Nec prius ab hac excusatione destitit, quam ei Dominus Aaronem fratrem, quem eloquentem esse sciebat, comitem adjungeret. Sic indicans, hoc valdè Regibus convenire, atque, ut Cicero (y) ait, nullam sapientiam esse perfectam, quæ oratione illustri, insignique verborum luce destituatur.

29 Salomon etiam de se testatur, simul cum sapientia ad populum regendum, quam à Deo ita enixè expostulavit, eloquentiam quoque expetiisse, & consequutum esse, sic enim habet (z): *Mibi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna verborum quæ mihi dantur.* In quo lo-

(r) Valer. Max. & Petrarch. ubi sup. Volaterr. lib. 18.

Petr. Gregor. de Repub. lib. 17. cap. 2. num. 9.

(s) Petrarch. d. pag. 414.

(t) Camer. 3. subtit. cap. 63.

(u) Petr. Crinit. lib. 1. cap. 8.

(x) Exod. 4. 10.

(y) Cicero. lib. 3. de Oratore.

(z) Sapient. 7. 15.

co expliando, & exornando, quoniam Pat. Pineda (a) diligenter se habuit, ad alium Ecclesiastici (i) transeo, ubi docemur: *In manu artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in sapientia sermonis sui.* Quod perinde est ac si diceret, quòd quemadmodum Phidiam, aut Polyctem suæ eximie picturæ, aut sculpturæ commendant, & ipse illis, & illæ ipsi conciliant æstimationem. Sic Princeps propter eloquentiam, sibi eam conciliat, & parit, ut ibidem omnes Antiqui, & Moderni Expositores animadvertunt. Et ultra eos Delrius (c), sacrum illud Adagium similiter explicans, *Opera laudat auctorem.* Quapropter & in Proverbiis (d) habetur: *Lingua sapientium ornat scientiam, & os fatuorum evulit stultitiam;* hoc est, ornatam, gratam, juundam reddi scientiam per eloquentiam.

30 Exploratum enim est, quantum ad scientiæ, & facultatis cujuslibet ornatum præstet lingua Dætoris, ut placeat, vel displiceat auditoribus. Et loqui benè, idem est, quod operari, ut jam supra ex Cassiodoro, & aliis probatum reliquimus. Qui & ipse Cassiodorus (e) alibi Thedadam Regem hoc idem agnoscentem, & prædicantem his verbis inducit: *Nam inter ceteras artes oratoriam sic diligimus, ut eam ornamentum omnium literarum esse fatemur.* Quicquid enim in qualibet disciplina consopitur, ab ista sub decore profertur. Reperiat quamvis magna Philoſophus, quid proderit sentire, si laudabiliter non possit extollere? *Naturæ est invenire, sed faciendum decenter asserere.*

31 Quæ omnia ansam mihi præbent, advocandam in dubium consuetudinem, quæ jam ab anterioribus seculis inolevit, & in nostris, tam à Romanis Pontificibus, quam à Magnis quibusque Regibus quasi ipsorum Majestati dignitatis decentior, & convenientior, judicator, pauca nimirum per se loquendi, & vel ex scripto, vel per ministros, quos ad id deputatos habent, & antiquitus *Questores* vocabantur, rescripta edictæ suæ proferendi; & exterarum etiam nationum legatis, & legationibus respondendi. De quo more agit Suetonius (f) in Nerone, Sidonius (g) dum inquit:

Cujus dignatur ab ore
Cæsar in orbe loqui, licet & Questore diserto
Polleat.

Et expressius Cassiodorus (h) dum ejusmodi quæsturæ formulam tradens, sub sui Principis persona loquens: *Quæsturam (inquit) toto corde recipimus, quam nostræ linguae vocem esse censemus, &c.* Quibus in locis Guiller. Fornerius, & Hier. Savato aliâ diligenter adducunt, & post eo. P. Joan. Pineda (i). Etenim si ipsi ex se apti sint ad animi sui conceptus idoneè, suaviter eloquenterque enuntiandos, longè magis in iis quæ jubent, enuntiant, vel respondent, operabuntur, & proprius dicere poterunt, quod se sentire cognoscunt. Neque in hoc quicquam ipsorum auctoritati detrahatur, cum hæc eloquentiæ vis in eisdem (ut vidimus) tantopere laudetur, & commendetur.

32 Et sanè ex nostræ Hispaniæ annalibus satis discere possumus, ejus Sceptrum tenentes, pari lingua ac manu suos subditos gubernasse, quousque, cum ad D. D. Philippum I. & Carolum V. pervenisset, cum linguam nostram non satis callerent, alieno ore loqui cœperunt; vel strictis conceptisque quibusdam formulis instructi, in audientiis publicis utebantur, & supplices sibi homines, & libellos expediebant, ut Sandovalius, & alii illius temporis Scriptores enarrant. Quod non semper ab aliis observari debet, quibus & fandi, & intelligendi peritiam Deus concedere voluit, & ut res postulerit eloqui, interrogare, replicare, & pleniorẽ ejusdem notitiam mutuis colloquutionibus consequi possunt.

33 Nam ut apud Stobæum (k) Musonius ajebat: *Hoc maxime Regium est, non secus oratione coquentes, quam armis hostes vincere;* Et ut benè Saavedra (l) noster animadvertit: *Un Princip que ha menester que otro hable por el, mas es estatua de la Magestad, que Principe.* Et Salomon, nihil Regiæ dignitati officere quin potius multum proficere reputabat, & majorem sibi veneratnem apud populum concitare, si ipsum proprio ore loquentem audiret, sic enim de se sub Sapientie (m) nomine, scriptum reliquit; *In conspectu Potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me. Tacentem me substinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.*

34 Et hæc doctrina alteri nequiquam contradicit, quæ in Regibus verborum parsimoniam com-

(a) Pied. de reb. Salomon. lib. 3. cap. 12. ex pag.

118.

(b) Eccl. 9. 24.

(c) Dr. in Adag. sacr. 2. tom. pag. 508. Adag. 384.

(d) Everb. 15. 2.

(e) Cassiod. lib. 10. epist. 6.

(f) Suet. in Neron. cap. 15.

(g) Sidon. in Paneg. Major. ad fin.

(h) Cassiod. lib. 6. epist. 5. in form. quæsturæ.

(i) Pineda. de reb. Salomon. lib. 3. cap. 9. pag. 111.

(k) Stob. term. 147.

(l) Saaved. Empres. 4. pag. 31.

(m) Sapient. 8. 12.

commendat, (quam Tacitus (n): *Imperatoriam brevitatem* appellat) & ut quæ necessario, & opportuno tempore proferuntur, nimis attentè pensatè dicantur, ut pluribus sacræ Scripturæ locis Pat. Joannes Antonius Velazquez (o) ostendit, & apertius lex nostra Partitæ (p), dum monet: *E porende todo ome, è majormente el Rei se debe mucho guardar en su palabra, demanera que sea acatada, è pensada, ante que la diga. Ca despues que sale de la boca, non puede ome facer que non sea dicha. Et alibi (q): Ca el mucho fablar face envilecer las palabras, facile descubrir las puridades; è si èl non fuere ome de gran seso, por las sus palabras entenderán los omes la mengua que ha del. Ca bien así como el cantaro quebrado se conoce por su sueno, otrosi el seso del ome es conocido por la palabra. Quam comparationem sumpsit ex illo Persii (r).*

Sonat vitium percussa maligne
Respondent viridi non coëta fidelia limo.

Et ex ea nobile quoddam symbolum in hanc rem dictus D. Didac. Saavedra (s) formavit, ubi alia ad idem allegat.

35 Nos enim cum Julio Candido apud Plinium Juniorem (t), & aliis (u), loquentiam seu loquacitatem ab eloquentia distinguimus, & illam, quia in multiloquio consistit, fatuam, periculosam, & Regibus haud doctè indignam esse fatemur, ut Salomon idem (x) nos admonet, inquit: *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. Eloquentiam verò, cum brevitate conjungi posse agnoscimus, brevique sermoni multum prudentiæ, ut ait Sophocles, inesse posse, & hanc, ejusque usum in nostro Rege desideramus, non ignari orationis prolixitatem multa mala secum afferre solere, quæ benè Joannes Nevizanus (y) expendit, brevem autem prudentemque sermonem, ut Origenes tradit, libentius, & attentius audiri, & melius memoriæ commendari.*

36 Unde legimus Phocionem apud Atheniensium concilium verba facturum, majori studio cogitare solitum fuisse, quid orationi detraheret, quam quid in ea dicturus esset. Quod refertur, & laudans Erasmus (z): *Alii (inquit) solliciti sunt, ut quàm plurima dicant, quo videantur disserti: illi diversa erat cura, nimirum ut quæ ad rem faciebant, verbis quam paucissimis complecteretur, & sententiose breviloquentiæ consuleret.*

37 Et profectò, cum nihil aliud eloquentia omnis sit, quam ars benè dicendi: nemo quidem benè dicet, nisi qui quædam taceat, & cum miserum sit loqui non posse, pejus tamen loqui, ubi tacere oportet, summæ verò felicitatis, sed quæ paucis contingit, ex prudentiæ rationisque dictu, & benè loqui posse, & benè tacere.

38 Quo melius adhuc edocuit Divus Augustinus (a), dictum Proverbiorum locum exponens, ostendensque non multam ibi eloquentiam, sed multiloquium reprehendi: *Multiloquium autem est (inquit) superflua loquutio, vitium scilicet loquendi amore contractum. Plerumque autem loqui amant, etiam qui nesciunt quid loquantur, vel quomodo loquantur.*

39 Ceterum de hoc hæc tetigisse sufficiat, & exempli loco Regis nostri Potentissimi orationem, de qua supra (b) diximus, multa paucis complectentem. Nunc ne me aliquis, dum brevitate laudo, longum vel loquacem appellet, contentus ero hanc commentationem Cassiodori (c) verbis finire, qui Amalasuentam Italiæ Reginam laudans, ac veluti in exemplar bonorum Regum proponens, inter alia, quæ in ea eximie commendat, hoc extollit, quod esset, *In tractatibus acuta, sed ad loquendum summa moderatione gravissima; & paucis verbis sensum clauderet infinitum, & summa facilitate componeret, quod ab aliis nunc sub longa deliberatione formatur. Semperque tam in Regibus, quam in quibusvis privatis hominibus illud Ciceronis (d) certissimum erit: Eloquentiæ sermonis copia sine ratione, & sapientia nocet aliquando, rarè aut numquam prodest. Sapientia verò sine eloquentia, prodest semper, numquam obest.*

EM

(n) Tacit. lib. 1. Histor.

(o) P. Velazq. de Opt. Princip. lib. 2. annot. 19. ex pag. 304.

(p) L. 1. tit. 4. part. 2.

(q) L. 5. d. tit. 4. part. 2.

(r) Pers. satyr. 3.

(s) Saaved. Empr. 11. pag. 72.

(t) Plin. Jun. lib. 5. ep. 20.

(u) Sidon. lib. 7. epist. 2. lib. 9. epist. 9. D. Isid.

lib. 10. etym.

(x) Proverb. 10. 19.

(y) Nevizan. in sylos, 4. part. num. 17.

(z) Erasm. lib. 4. apoph. pag. mibi 306.

(a) D. Aug. lib. 3. contra Crescon. cap. 1.


(b) Sup. in Epist. Dedicat.

(c) Cassiod. lib. 10. epist. 4.

(d) Cicet. in Prolog. Retb.

EMBLEMA XXVIII.

UNDIQUE ILLÆSUS.



Quàm purum, quàm læve micat, quàm candicat altè
Hoc speculum, quo nec sistere musca potest.
Sis tibi Rex speculum, tua sit crystallina vita,
Non aderit nebulo, si tibi nævus abest.

COMMENTARIUS.



Icet fortasse aliquis, multa Nos in bono nostro Principe benè educando atque instituendo requirere; sed si munus cui destinatur attendat, videbit profectò, in quolibet, tametsi multis polleat, plura desiderari, & ita in cunctis præstare debere, tamquam si universa ad singula reduxisset. Verum reddens illud, quod falsò, & per lænocinationem, de suo Silicone dixit Claudianus (a):

Et que sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & que diversa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Et talem se ostendens, ut juxta Cyri, & Alphonso Regis (b) Apophthegmata; non solum imperio & dignitate, verum virtutibus, & omnibus artibus Regno gerendo necessariis, suis subditis præstet, tantoque his melior & sapientior existat, quanto, loco, & honoribus antecellit. Atque (ut verbo dicam) tam sibi, quàm suis, tersum adè & lavigatum se speculum exhibens, ut ne muscæ quidem (quæ apud Ægyptios, & alios semper improbitatis, impudentiæ, & pertinaciæ symbolum fuerunt (c) & earum similes nebulones, momi, zoili, ac sycophantæ, in eo pendem figere possint, nec quidquam reperire, quod jure censi notari mereatur.

2 Et hoc est quod præsentem Emblemate designamus, ex Plutarchi (d) penu deprompto, qui eadem comparatione utitur ad probandum, aliquos in tristibus tantum, & diversis hæcere, quam Nos melius eò deducimus, ut probemus, bonos & candidos Principes, improborum calumniis non subjacere.

3 A qua non abest Virgilius (e) dum in viro bono, quem elegantissimè describit, inter alia exigit, ut sit,

Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externe ne quid labis per lævia fidat.

Cui

(a) Claud. de laudib. Silic. lib. 1.

(b) Cyri. apud Plut. in Apoph. Alph. apud Panorm. lib. 4.

(c) Piet. lib. 26. fol. 190. & seq. Pontan. in bellar. Art.

(d) Plut. in Moral. & ap. Lycosten. in similib. pag. 52.

(e) Virg. in descript. viri boni, post ejus opera, quam alii

bolis Mersin. in Genes. ex pag. 510.

(d) Plut. in Moral. & ap. Lycosten. in similib. pag. 52.

(e) Virg. in descript. viri boni, post ejus opera, quam alii

Ausonio Gallo tribuunt.